

juxta & venerandum Philosophiæ nomen prostituere con-  
sueverunt. Nunquam sane sine risu & mixta cachinno in-  
dignatione lego, quæ narrat Ricciolus Almag. Novi Lib.  
VIII. Sect. I. Cap. XVI. *Quidam Patavii Professor publicus Phi-  
losophiæ adiit Galileum, rogavitq; ut explicaret sibi quid signifi-  
caretur nomine Parallaxis, sibi enim jam prædefinitum esse animo  
illam impugnare, quòd audivisset illam adhiberi à nonnullis contra  
opinionem Aristotelis de Cometarum loco; cui Galilæus leniter sub-  
ridens: Ergone, Domine mi, obfirmasti animum tuum, ut con-  
tra illud nomen disceptes, cujus significationem ignoras?* Simile  
verò hujus Professoris Patavini consilio non injustè judica-  
verit aliquis illud Gisberti Voëtii jurati Cartesiani nominis ho-  
stis, quo & *Mersennum* provocavit ad acuendum in Carte-  
sianam Philosophiam calamus anno integro priùs quàm  
eam vidisset, & ipse volumen integrum meditatus est, quo  
methodum illam philosophandi pro viribus impugnaret, in  
ejus libri editione unà pollicitus Mersennum in eandem in-  
surrecturum; cui Mersennus tamen, postquam hæc inau-  
diisset, epistolâ ad Voëtium scriptâ (quæ extat in principio  
II. Partis Epist. Cartes.) & negavit se quicquam ausurum in  
Cartesii Philosophiam, sibi quippe multisq; Viris in Gallia  
doctissimis, quatenus è quibusdam speciminibus eis innotuis-  
set, magna ex parte probatam, & Ipsum, *expectemus igitur,  
monuit, donec eam ediderit, quandoquidem de re nobis intognita  
judicium ferre neq; possimus, neq; debeamus.-- Neq; possum, addens,  
intelligere qua ratione illius Philosophiam impugnes, si nondum  
eam videris.* Hoc autem Aristotelicorum illorum muliebri  
affectu non minus insulsus ac ridiculus erat *Castellani* Galli  
Philosophi, Aristotelicis ac imprimis *Bigotio* Peripatetico  
Celeberrimo, quicum ætate Francisci I. in Galliis florebat,  
infensi admodum impetus, cum, suadentibus quibusdam  
Regi, ut & *Bigotium* audiret, postquam Castellanium fre-  
quentiùs admisisset, ipse commotior in hæc verba erumpe-

D

ret: